958

# QVÆSTIO MEDICA,

## CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIII. MARTII,

## M. NICOLAO BRAIER Doctore Medico, Moderatore.

*An vna bene valendi ratio, mediocritas?*

13 Iso. ad dæm. 14 a Hic. in Ep. 14. b Plut. de lib. edu. 15 Gal. 1 de san. tu. 16. a Basil. hom. 9. hex. 16 b. Gal. de mor. 17 Gal. ib. 18 Hip. de art. 19 Gal. 1. de san. tu. 20 Gal. ib. 21 Gal. ibid. 22 Gal. 2. de tẽ. 23 Gal. 1. de san. tu. 24. Cic. temp. 40 Phil.

1 MEDICINA, si altiùs rerum originẽ repetas, non inuenitur vnde ad homines manare potuerit nisi à Deo. 2 Cùm alia restituendæ valetudinis, alia conseruandæ præcepta sint, 3 diæta reliquis medicinæ partibus antiquior, 4 & vtilior. 5 Finis illius nõ est, sed actio, sanitatẽ cõseruare: 6 hæc corporis vna perfectio, 7 & virtus, 8 a cõdimentũ diuinũ, fonsq; omnis veræ voluptatis, 8 b rectè harmonia dicitur: 9 eius flos quidã pulchritudo, & 10 præcipuus fructus actio est. 11 Licèt qui sanus est, nullis se obligare legibus debeat, 12 bonæ tamẽ valetudinis magna cura habẽda est, 13 quod facile fiet, si cogitaueris quãtas secũ morbus afferat molestias: 14 a quid enim boni habeat sanitas, languor ostendit: 14 b vt diù perseueret, firmũ eius fundamentum in pueritia iaciendum. 15 Rectè definietur sanitas actionũ integritate, 16 a καὶ εὐσταθεία: 16 b omnes homines actionibus illæsis bene se valere arbitrantur; 17 sani ergo, qui sine dolore, & facilè operentur: 18 qui enim debilior, proximus ægrotanti, 19 quãuis actionũ omnis imbecillitas non arguat morbũ, 20 sed sanitas optima, quæ ad omnia vitæ munia obeunda optimè habet: 21 ita non erit vna tantùm pars tẽperata, 22 quod cum accidit, ex vnius partis temperamento, non fertur iudicium de altera, 23 sed totũ corpus erit temperatum; 24 nã cum corporis bona alia sint in toto, alia in partibus, valetudo, vires, pulchritudo in toto sunt. 25 Oritur autẽ sanitas ex commoderatione quatuor humorum; 26 tot enim sunt in homine quandiu viuit, 27 & ex iis valet, cum, vt par est, sibi inuicem respondent; 28 nullusq; aliis præpollet; 29 vnde natura semper occupata est in expurgando sanguine: 30 vbi vero secretũ fuerit calidũ à frigido, 31 quo nutriebatur, 32 & velut Dorica harmonia Lydiâ ante tẽperabatur, 33 tunc homo malè habet. 34 Optima ergo corporis constitutio, quæ temperatissima est, licèt quæ tẽperatissima, non proinde sit optima: 35 in tẽperamento sola sanitas partium similarium: in recta conformatione, organicarum sanitas; 36 ita vt qui bene valeat, & rectè conformatus sit, & temperatus. 37 Qui sanitatis latitudinem tolleret, negaret medicinam; 38 sua enim illi latitudo est, vt & tẽperiei: 39 quæ ex æquali & apto elementorũ dominio intelligitur. 40 Ex his, quæ velut mundi quædã radices sunt, 41 inter se depositâ discordiâ tẽperatis, 42 & mixtis, 43 animantur formæ, earũque rerũ quæ gignuntur è terra, 44 hominiq; materia suppeditatur, 45 sed in minutissimas partes, 46 propriâ formâ euanescente, priùs atteruntur, 47 vt in hominis corpus abeant, 48 suumq; id animæ vehiculũ elaborent; 49 corpus enim è terra, 50 quæ ideo corporis semen est, 51 spiritũ 52 (mortalis animalis immortale principiũ) è cœlo possidemus; 53 sed & hominem necesse est non esse vnum, 54 neque doleret nisi constaret ex pluribus; etsi tamen non sit vnus, 55 conspiratio vna est; 56 & si quis vnam partem lædat, totum corpus, affectum sentiet.

25. Gal. de atr. bile. 26 Hipp. de nat. hum. 27. Hipp. ib. 28 Hipp. de vet. med. 29. Gal. de at. bile. 30 Hipp. de vet. med. 31 Hipp. de nat. pue. 32 Cle. Al. adm. ad gent. 33 Hipp. de vet. med. 34 Gal. de op. corp. const. 35 Gal. ib. 36 Gal. ib. 37 Gal. 1. de san. tu. 38 Gal. ib. 39 G. 1. de plant. noe. 41 Gr. Na. or. 26. 42 Cl. Al. adm. ad gent. 43 Cic. 44. Gr. Na. or. 26. 45 Pla. in tim. 46 Ar. 2. de part. c. 1. 47 Pla. in tim. 48. Pla ib. 49. Cyp. de orat Do. 50 Hie. in Ep. 51 Cypr. de or. D. 52 Plat. in tim. 53 Hip. de nat. hum. 54 Hip. ib. 55 Hipp. de ali. 56 Hipp. de flat.

1 Aug. de mor. eccl. cath. c. 28. 2 Senec. de ira. 3 Hipp. de arr. 4 Plat. in tim. 5 Gal. ad thras. 6 Gal. ibid. 7 Plut. de virt. mor. 8 a Plut. de præc. salub. 8 b Arist. 1. de an. 9 Cl. Ale. pæd. 3 10 Gal. ad thra. 11 Cel. l. 1. c. 1. 12 Xẽ. ĩ. mem.

24. 25. 26. 12 Aris. ib. c. 27. 13 Pli. l. 17. c. 24 14 Pli. l. 7. c. 11. 15 Pli. l. 25. c. 3. 16 Aug. de ciu. l. 22. c. 22. 17 Hipp. de vet. med. 18 Plut. de tranq. an. 19 Hip. de flat. 20 Hip. de aer. loc. & aq. 21 Hip. de glãd. 22. Greg. Naz. orat. 3.

1 CORPORI si quærimus quid optimum sit, id ratio cogit fateri, per quod fit vt se corpus optimè habeat. 2 Eiusmodi est ex consensu primarum qualitatum enata temperies. 3 Quidquid nimium est, aut deficit, parit incommodũ: 4 corpus quod male constitutum est, quouis morbo multùm læditur; 5 quotiesque offensum corpus est, vitiosa pars maximè sentit: 6 omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas: 7 caue tamen imbecillitatem aliud putes quàm vniuscuiusque partis intemperiem, 8 καὶ ὄνομα φιλὸν γεννύναι τὴν ἀτονίαν. Ex intemperie morbus: 9 is reliquis animalibus cõmunis. Ægrotare aues, plumæ argumento sunt: 10 pisces etsi à peste immunes, ægrotant tamen: 11 non maior terrestrium animantiũ securitas: 12 etiam apes ægrotant, & insecta: 13 infestantur quoq; arbores morbis: quid enim gentiũ caret his malis? 14 sed nihil vsquã mali, quod in homine non sit. 15 Millia morborum singulis mortalium timenda, 16 quæ nec libris cuncta comprehensa sunt. 17 Origo mali præcipua, τὸ ἰσχυρὸν ἑκάστου, καὶ τὸ κρέσσον τῆς φύσεως. 18 Vehementior à causa interna morbus: 19 τὸ ξηρότερον πεφυκὸς νόσοις λάζεσθαι: 20 mulieres pinguedo carnis, & humiditas steriles facit: 21 in vliginosis terræ locis semen suffocatur; 22 quod ergo humidius vel siccius, ad mediocritatem reuocare oportet, ne alterutrius excessu totum corpus labefactetur. 23 Vt ab aquis in lebete bullientibus vapor sursum, sic & in corpore calidiori, 24 qui propterea capite sunt calidiori, aquæ dulcis balneo foueantur frequentiùs. 25 In bilioso, si imbecillior sit ventriculus, nisi roboretur cibis, excrementa à vicinis partibus accipiet: 26 hinc vino vtere propter stomachum, 27 sed modico, ne hoc ipsum remedium, ob copiam alio remedio indigeret. 28 Tollit famem immoderatus calor, 29 nimiam facit acidi humoris vitium. 30 Difficilis morbus, cum frigidus humor in ventriculum calidum descenderit. 31 Humor acrior pruritum excitat, modò vlceris sensum, interdum horrorem, & rigorem: 32 pallida bilis in vniuerso corpore morbum regium, si vnam tantùm partem afficiat, erysipelata, & herpetes excitabit. 33 Frigida multaque humiditas, non tantùm somnum profundiorem conciliat, sed lethargum. 34 Salsa pituita, fluxionum omnium fons. 35 σφαλεραὶ ἀκρότητες. 36 Calentibus ingeniis vinum substrahe, 37 nec ignem igne incita: 38 vinum & adolescentia, duplex incendium: 39 puerilis, & senilis ætas ἡλικίαι ἐλέειναι. 40 Et quidem, infans in vtero, vitam magis piscium quàm hominum viuit; 41 cum nascitur, ex vtero affert initium morbi: 42 & in multis ætas à senectute non desinit, sed incipit 43 Habet etiam quandam senectus infantiam, 44 bisque pueri senes; 45 auget tamen sapientiam. 46 Si minùs pestilentiam sentiunt, 47 quiuis morbus satis est, vt citò moriantur: 48 anima senilis in primis labris est, nec magna vi distrahitur à corpore. 49 An ergo ridiculus sexagenarius senex qui medico manum porrigat? 50 Naturam certè vincere, non est naturæ nostræ.

23 Hipp. l. de flat. 24 Gal. 6. de san. tu. 25. Gal. ib. 26 Paul. 1. ad Timoth. c. 5. v. 23. 27 Cl. Al. 2. pæd. 28 Gal. 1. de sympt caus. 29. Gal. ib. 30 Gal. 6. de san. tu. 31 Gal. de plenit. 32 Gal. 3. de caus. symp. 33 Gal. 1. de symp. caus. 34. Plat. 1. tim. 35. Cl. Al. 2. pæd. 36. Sen. 2. de ira. 37 Pla. 2. de leg. 38 Hier. in ep. 39 Gr. Naz. or. 1. 40 Basil. in ps. 114. 41 Hipp. de octim. 42. Cypr. ad demetr. 43 Hier. in Ep. 44. Theoph. soph. 45 Hier. in ep. 46. Plin. l. 7. c. 50. 47 Ar. de iu. & sen. 48 Sen. Epis. 49 Plut. de præc. salub. 50 S. Ioan. Clim. Gra. 15.

1 Aug. de mor. eccl. c. 5 2 Plut. de frat. amo. 3 Phil. de tem. 4 Phil. ib. 5 Cels. l. 1. c. 9. Demo. ĩ. olyn. 6 Cels. l. 1. c. 3. 7 Gal. 2. meth. 8 Gal. ibid. 9 Arist. 8. de hist. an. c. 18. 10 Arist. 8. de hist. c. 19. 11 Arist. 8. de hist. c. 21. 22. 23.

nat. facult. 15 Aris. de sen. & sens. c. 4. 16 Arist. ibid. 17 G. Na. or. 1. 18 Gal. 5. de san. tuend. 19 Hip. de vet. med. 20 Plat. in protag. 21 Arist. 2. de an. c. 4. 22. Phil. de plant. no. 23 Tertull. de pœnitent. 24 Plin. iun. epis. 9. 25 Hie. 39 Gal. ib. 40 eccl. c. 33. 55

1 EX quo quisque in isto corpore morituro esse cœperit, numquam in eo non agitur, vt mors veniat, 2 immo priusquàm anima separetur à corpore, morimur sæpius: 3 quotidie enim demitur pars aliqua vitæ, 4 & in ortu adhuc suo, ad finem natiuitas properat: 5 sicque nobiscum mors ipsa circumfertur: 6 nostra certè mutatio clausis vel in totum homericis oculis liquet. 7 Naturali huic malo βοήθεια τροφή: 8 reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo; 9 neque alia potiora τῆς ἀσθενείας ἡμῶν ὑποστηρίσματα: 10 cùm quæ exinanita sint, cibi expleant; 11 corpora ergo ob perpetuum illum substantiæ fluxum nutrienda, 12 & partes nullæ quæ alimento non indigeant, 13 non tamen æquali, 14 nec simili, 15 quanquam omnes dulci, 16 & non simplici, quod nec ipsis plantis conueniret. 17 Vt omnibus non competit idem pharmacũ, 18 sic neque idem cibus: 19 nec medicina quæsita vnquã aut inuenta fuisset, si vna & eadem esse posset hominum omnium viuendi ratio. 20 Simile simili σύγγενες; 21 an ergo contrario contrarium nutritur? 22 qui cibum sumpturus est, eo priùs egeat, 23 non ventris scilicet, sed animæ causâ, 24 quæ corporis fulturâ sustinetur. 25 Tales ac tantas sume escas, quibus non oneretur corpus. 26 Cùm edendi, & bibendi nulla voluptas sit, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi molestia, 27 fuge cibos qui vel non egentes ad edendum incitarent. 28 Medicus non haberetur sed coquus, qui neglectâ vtilitate, in victu instituendo haberet tantùm rationem voluptatis, 29 quæ blandum malum appellari potest; 30 voluptas tamen quæ à cibo percipitur naturalis, vel magis quàm quæ ex venere: 31 sed ex quocumque fonte hauriatur, cum ex iis percipitur quæ naturæ conueniunt, vera erit, & naturalis. 32 Quemadmodum quod cum voluptate discitur, faciliùs animo continetur: 33 sic alimentum paulò quidem deterius, sed iucundius præferendum, 34 quòd ventriculus complectatur illud coquatque faciliùs, 35 eo ipso postea nutriendus. 36 Si superetur cibus, nullus morbus: 37 illius vtilitas non solo sensu æstimanda, sed adhibitâ ratione. 38 Alimenta vel omnino temperata, cuidam tamen intemperata. 39 Si prauis cibis rustici interdum minùs lædantur, causam somno profundiori imputa. 40 Partes principes purissimo alimento nutriuntur: minùs præcipuæ, deteriori. 41 Nec sonus, nec color, nec odor nutriunt. 42 Alimentorum omnium ἄρτος ἀναγκαιότερος. 43 Imò panis solùm necessarius, 44 & facilis cibus, 45 ἄριστον ὕδωρ, καὶ 46 σῶφρον, 47 & naturalis potus. 48 An ergo vinum potus vtilissimus? 49 Non tantùm certè corpus, sed animum calefacit, 50 senibus aptissimum est, 51 biliosis & ieiunis nocet, 52 aliquando capitis dolorem sedat, 53 quem aquæ potus interdum exasperat: 54 si quis eo recusaret vti vanâ superstitione, non sanctior, sed debilior fieret. 55 Vinum virgo fugiat pro veneno, 56 in quo luxuria est, 57 & sine quo friget Venus. 58 An hyeme ob tempestatis frigus vinum vtilius? 59 Καθαρτικὸν ἔχει ἀπὸ τῆς ὕλης, 60 & ad medelam etiam corporis nostri tributum est: 61 an ergo remediorum iucundissimum?

in ep. 26 Aug. conf. 8. c. 3. 27 Xenoph. in memor. 28 Phil. de Iosep. 29 Cypt. de bono pudic. 30 Plut. de præc. conn. 31 Plut. de præc. salub. 32 Basil. hom. in psal. 1. 33 Hipp. sect. 2. aph 34 Gal. in com. 35 Gal. de nat. facul. 36 Hipp. de loc. in hom. 37 Gal. 1. de alim. 38 Gal. ib. At. 2. de genen. c. 6. 41 Ar. 3. de an. c. 2. 42 S. Io. Clim. Gr. 6. 43 Tert. de or. Dom. 44 Clem. Al. 2. pæd. 45 Pindar. 46. Hipp. 6. Epid. 47 Cl. Al. 2. pæd. 48 Plut. de præc. salub. 49 Plat. in tim. 50 Gal. 5. de valet. tu. 51 Gal. de suc. bon. & vit. 52 Gal. ib. 53 Gal. ib. 54 Aug. de mor. Hier. in ep. 56 in Euang. 57 Terent. 58 Cl. Al. 2. pæd. 59. Hipp. 1. de vict. rat. 60 Aug. de salub. doc. 61 Plut. de præc. salub.

1 Aug. 13. de ciu. Dei c. 10. 2 Basil. ĩ. ps. 114 3 Sen. ep. 24. 4 Cyp. ad dem. 5 S. Ioa. Clim. Gr. 15. 6 Ter. de pall. 7 Plat. in tim. 8 Aug. conf. 8. c. 3. 9 Basil. in psal. 114. 10 Hipp. 1. de diæt. 11. Gal. 16 de vsu part. 12 Gal. ibid. 13 Gal. ibid. 14 Gal. 2. de facu.

14 a Hipp. de atte. 14. b Sen. ep. 95. 15 Hip. de vet. med. 16 Gal. 2. de natur. facul. 17 Hip. 2. de diæt. 18 Plin. l. 28. c. 5. 19 Cel. l. 2. c. 6. 20 Hip. de fla. 21 Arist. 8. de hist. an. c. 21. 22 Sen. ep. 95. 23 Basil. hom. 1. de ieiun 24 Sen. de br. vit. 25 Basil. hom. 1. de ieiun.

1 CORPORI imbecillitatem peperit animæ malè vtentis auiditas: 2 plurimæ ægritudines escarum largitate contingunt, 3 cum impletur in succum cibis fortioribus corpus, vt saginatum in pœnam cariùs pereat. 4 Mala hæc diæta, si plures cibi ingerantur; 5 quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis: 6 tuncque si corrupta sunt, nil commodius est, quàm ea quâ viâ primùm expelli possunt, eiicere: 7 γαστρὸς ἀπληστία νόσος. 8 Athleticus habitus non est à natura, 9 nec fieri potest vt nimia sanguinis copia conquiescat, 10 αἱ γὰρ ἐς ἄκρον εὐεξίαι ὑποσφαλέας ἔχουσι καὶ μεταπτώσεις. 11 Vt nauis plus æquo onusta naufragio patet, sic corpora satietate, velut nimio onere depressa, morbis obnoxia. 12 Imbecillior actio ab auctâ carne, & adipe, 13 nec robustior à sanguinis incremento, sed virtutis. 14 a Cùm intemperantia ægrorum sæpe mortis causa sit, 14 b quidni possit frugalitas producere senectutem? 15 Non minus tamen erratum hominis pauciora quàm par sit assumentis, 16 tunc πικρὸν στόμα, vrinæ biliosæ: 17 extenuandi, & siccandi vi prædita est μονοσιτίη: aluum sistit: 18 an ergo non prandentium exta celeriùs senescunt? 19 Non conuenit vero iuxta inediam satietatem esse. 20 Mala quoque viuendi ratio cum dissimiles & varii cibi adsumuntur, 21 licèt iis animalia magis delectentur; 22 multos morbos multa fercula fecerunt, 23 eorumque ex ciborum diuersitate diuersitas: 24 hinc multi continuis voluptatibus pallent, 25 nimiæque voluptatis amote τὴν ἡδονὴν ἀφανίζουσι: 26 nihil enim ad morbum potentius, quàm si modum dolor aut voluptas excesserint: 27 validissima edulia hominem maximè lædunt. 28 Talia voco in quibus plurimùm alimenti est: 29 a ex cibo imbecilliori vita breuior: 29 b quò maius quodque animal, eò robustior ex eo cibus. 30 Ouum durum valentissimæ materiæ. 31 In cibis mali succi vis ad morbum maxima. 32 a Boleti anceps cibus, 32 b vel voluptuariũ venenum: 33 fungique, non cibi, sed oblectamenta sunt ad edendũ saturos cogentia. 34 Quidam fungorum esu statim perierunt: 35 difficilior obstructio quæ ex cibis oritur, quàm quæ ex vino: 36 si quis verò accuratam diætam instituere minùs possit, venæ sectione, & purgatione sibi interdum consulat. 37 Labor, cibus, venus, omnia mediocria. 38 Etsi venus à pluribus morbis liberet, 39 sitque vtilis morbis à pituita, 40 ipsæque etiam aues nisi incubent ouis, ægrotent; 41 raritas tamen eius vtilior; 42 citiùs senescunt quæ coëunt sæpius; 43 gallinæ post partum frequentiùs intereunt: 44 aper à coïtu imbecillior; 45 plantæ statim exsiccantur quæ vberiorem fructum ferunt. 46 Vt corpora impura nutriri non possunt, quin lædantur ampliùs; 47 sic neque venus corpori malè affecto conueniet, non magis quàm lugentibus intempestiua hilaritas. 48 Maiorne alia voluptas & vehementior quàm quæ ex venere percipitur? 49 numquid huius voluptatis ἐπικάλυμμα νύξ? 50 An ergo natura erubescenda est? 51 coïtum libido, non conditio fœdauit: 52 non fuisset antea indecens vt puderet, quando eas partes mouisset voluntatis imperium: non caro concupiscens aduersùs spiritum: 53 nunc αἰδοίων φύσις ἀπειθής τε καὶ αὐτοκρατής, 54 & peccato dehonestata natura. 55 Nisi præisset facinus quod inobedientia est ausa committere, non sequeretur dedecus quod verecundia vellet abscondere.

hom. 1. de ieiun. 26 Plat. in tim. 27 Hip. de vet. med. 28 Cel. l. 2. c. 18. 29 a Hip. 6. epid. 29 b Cels. l. 2. c. 18, 30 Cels. ibid. 31 Gal. de suc. bon. & vit. 32 a Sen. Epist. 95. 32 b Plin. l. 22. c. 23. 33 Sen. ibid. 34 Gal. de suc. bon. & vit. 35 Gal. 5. de san. tuen. 36 Gal. de suc. bon. & vit. 37 Hipp. epid. 38 Auic. l. 3. Fen. 20. tr. 1. c. 10. 39 Hip. 6. epid. 40 Aris. 6. de hist. anim. c. 2. 41. Pli. l. 28. c. 6. 42 Aris. de long. & breu. vit. c. 5. 43 Aris. 3. de gen. c. 1. 44 Aris. 6. de hist. c. 2. 45 Arist. 3. de gen. c. 1. 46. Hip. aph. 10. sect. 2. 47 Plut. de præc. salub. 48 Plat. 3. de republ. 49. Clem. Al. in adm. ad gẽt. 50 Tertull. de an. 51 Tertul. ib. 52 Aug. l. 4. cont. Iul. c. 14. 53 Plat. in tim. 54. Aug. l. 2. de pec. orig. c. 35. 55 Aug. 2. de pecc. orig. c. 37.

1 Aug. de ver. relig. c. 45. 2 Aug. de sa. do. 3 Cypr. epis. ad donat. 4 Hipp. l. de flat. 5 Sen. epist. 95. 6 Cels. l. 1. c. 3. 7 Gr. N. or. 19 8 Hipp. de ali. 9. Hip. l. de fla. 10 Basil. ho. 1. de ieiun. & Hipp. s. 1. aph. 11 Basil. hom. 1. de ieiun. 12 Gal. de ple. 13 Gal. ibid.

sect. 2. aph. 3. 16 Ouid. 17 Hip. 1. de diæt 18 Hip. ib. 19 Aug contr. Iul. l. 4. c. 14. 20 Aug. ibid. 21 Cels. l. 1. c. 1. 22 Ari. de lõg. & breu. vit. c. 5. 23 Hipp. 6. ep. sec. 5. 24 Arist. de long. & breu. vit. c. 5. 25 Hipp. 6. ep. sec. 4. 26 Hip. 6. ep. ibid.

1 QVIDQVID immoderatum est, dissolutionem efficit animæ: 2 huic quidem multa à corpore mala obueniunt. 3 Sui sunt quoque corpori ab animo morbi, 4 sed & bona quàm plurima, cùm bene affectus est; 5 sæpe anima corpore abutitur, idque totum commouendo morbis replet. 6 τὸ μέτριον ἑκάστῳ μὴ πρόσω. 7 Quod in vnaquaque re satis est, semper finem suum assequitur. 8 Cùm igitur certi sint fines, & modus in rebus quibusuis, 9 ad eum semper collineare oportet. 10 Quidquid nimium, naturæ inimicum; 11 quidquid præter naturam, & violentum, dolorem ex se fundit. 12 Quiete indigentibus nox κάλλιστον ἀναπαυτήριον: 13 nam noctu dormire melius est. 14 Somnus si modum excesserit, malus. 15 malus quoque vigiliarum excessus, 16 attenuantque nimiùm vigilatæ corpora noctes. 17 Qui comedit, sanus esse nequit, nisi exerceatur; 18 contrarias inter se vires habent cibus, & labor si tamen sibi inuicem respondeant, sanitati vtiles. 19 Cùm alimentorum sustentaculis indigeamus, 20 cibo natura poscit supplementa quæ desunt: 21 labor corpus firmat, 22 excremẽta consumit, 23 articulis & carni prodest, 24 facilioris partûs causa est, 25 sanitatem promouet, 26 sed cibum antecedat. 27 immoto corpori ferè cibus non adhærebit. 28 Solidissima pars corporis quam frequens vsus agitauit, 29 cùm langueant per inertiam saginata: 30 corpus tamen otiosum, si multùm exerceas, dissolues. 31 Animus ipse agitatione motúque corporis excitatur, 32 desidiâ retardatur, 33 quæ non tantùm improbitatis magistra est, 34 sed obliuionis artifex, quam imis diffundit sensibus. 35 Optima exercitatio, si neque animus sine corpore, nec corpus sine animo exerceatur. 36 ἡ ἐν αὐτῷ ὑφ' ἑαυτοῦ ἀείσῃ κίνησις. 37 Moderata est quæ ad anhelitus mutationem procedit, 38 eamque commodè definiet ἱδρὼς ῥέων σταγόνων. 39 Fugienda exercitatio, cuius labor spiritum exhaurit: 40 præterquàm quòd animorum impetum assiduus labor frangit, 41 consumit quidquid in nobis mite, placidúmque est, & acria concitat. 42 Lassitudo exercitationis vel robustissimis, finis: 43 si cum phlegmone iungatur, ne paucis quidem horis aberit febris: 44 post nimium cibum fugienda exercitatio: 45 & cùm futura inedia est, labor quoquè omnis vitandus: 46 ὅσα ποιητικὰ τῶν ἀρρένων senescunt citiùs; 47 boues tamen exsecti, qui laborant, diutiùs viuunt; 48 minùs equi, qui in præsepi nutriuntur. 49 Αἱ μεσότητες ἀκμαί. 50 Nullis aut nimiis menstruis non fit conceptio. 51 Regio ipsa quæ in medio calidi, & humidi sita est, fertilissima. 52 lætiora omnia in Asia, ob temporum anni temperiem. 53 Sano corpori periculosa purgatio, 54 imputo adhibenda, sublato pleniori victu. 55 Si nimia sit, ex leui morbo, magnum faciet; ex vno, plures; 56 si leuior, humorem noxium excitabit magis quàm excludet. 57 Passiones non inutiles: 58 illas tamen coërcebit philosophus animi causâ, Medicus ob sanitatem corporis: 59 nec beata, in discordia dominorum, domus, nec animus secum ipse dissentiens, 60 ὀξυθυμίη cordi, pulmoni, capiti periculosa; cor relaxat animi tranquillitas; 61 mediocritas, vbique pulchritudo, & virtus. Vna ergo bene valendi, & bene viuendi ratio 62 μηδὲν ἄγαν.

*Ergo vna bene valendi ratio, mediocritas.*

27 Cle. Alex. pæd. 3. 28 Sen. de prouid & Hier in ep. 29. Sen. 30 Plat. in tim. 31 Plin. iun. ep. 6. 32 Xenoph. in mem. 33 Basil. ho. 8. hex 34 Horat. 35 Plat. in tim. 36 Plat. ibid. 37 Gal. l. 2. de san. tu. 38 Hipp. 6. epid. sect. 3. 39 Sen. ep. 15. 40 Sen. de sapient. 41 Sen. 3. de ira. 42 Sen. epist. 83. 43 Gale. 4. de sanit. tu. 44. Xen. in mem. 45. Cels. l. 1. c. 2. 46 Arist. de long & br. vit. c 5. 47 Arist. ib. 48 Arist. ib. 49 Clem. Al. pæd. 2. 50 Arist. 1. de gen. c. 19. 51 Hipp. de aer. loc. & aq. 52 Hipp. ib. 53 Hipp. s. 2. aph. 36. 54 Hipp. s. 2. aph 8. 9. 55 Plat. in tim. 56 Gal. 57 Plut. de vir. mor. 58 Gal. de suc. bon. & vir. 59. Cic. quæst. acad. 60 Hipp. 6 ep. sect. 5. 61 Plat. in Phileb. 62 Alph.

1 Aug. de salut. docum. 2. Plat. in tim. 3 Plut. de præc. salub. 4 Pla 3. de rep. 5. Plat. in tim. 6 Hip. de vs. hum. 7 Clem. Alex. pæd. 2. 8 Horat. 9 Hip. de vet. med. 10 Hip. 2. sect. aph. 51. 11 Plat. in tim. 12 Xen. ĩ. mem. 13 Hip. ĩ. prog. & coac. 14 & 15. Hip.

Proponebat Lutetiæ IOANNES HAMON Cæsarisburgensis, A. R. S. H. M. DC. XLVI.